



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 9. Antverpiensium tumultus ob publicam supplicationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Cameracenses, & Bunienses huic fœderi accedere renuebant.

Sæcul. XVI.

A.C. 1579.

§. IX.

Antverpiensium tumultus ob publicam supplicationem.

Sub idem tempus Antverpiæ oriebatur tumultus non sine funesto exitu; quippe Catholici percelebrem sacri Ordinis supplicationem in solemnī festo ascendentis in cœlum Domini instituebant, quam comitabatur ingens cum ipso Archiduce Catholicorum multitudo, mox vero conglobati aliquot Calviniani, assumpta secum sclopetariorum manu, primum incedentibus viam obstruunt, ubi vero Catholici obstantium turbam submovere, ac vi aditum aperire cœnitatebantur, Calvinistæ sclopis in pectus intentatis, & mox explosis duos illico interficiunt, atque alios alio fugant, agmen supplicantium dissipant, plerosque in templum cum Archiduce compellunt, concluduntque: insuper rebelles hæretici gliscente, ut fit, ex successu licentia, partim templi fores armati obsident, partim per urbem, dissonis vocibus pellendos urbe sacrificulos conclamant, atque Archiduce, magni veluti beneficii loco, e sacris ædibus abire permisso, reliquos non ante egredi patiuntur, usque dum Canonicorum,

*Strada Es
Thuan. l. 6.*

Mo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

Monachorumque, ac sacrorum hominum, qui non pauciores ducentis supplicationem instituerant, exilium, paucis retentis, a Magistratu impetraverant: cum autem Catholici tantam impietatem indulgere renuerent, hæc repulsa nonnisi ad Calvinistas magis irritandos valebat, quapropter ipsimet hæretici sua auctoritate ducentos illos Ecclesiasticos comprehendunt, urbe expellunt, ac duobus ab urbe milliaribus abductos includunt, donec Senatus hac super re decrevisset: equidem Archidux de atroci hac injuria palam querebatur, ac nisi Sacerdotes, & Monachi rursus libertati redderentur, se mox e Belgio excessurum minitabatur: ast Calvinitæ spretis Principis sui querelis, minisque nil aliud Archiduci indulgebant, nisi ut in urbe conscientie libertas permitteretur, ac pace quadam religionis promulgata etiam templa quædam Sacerdotibus restituerentur, exclusis Monachis, & sacrorum Collegiorum sodalibus, seu Canonicis. Hæc pacificatio die duodecima Junii fuit inita.

§. X.

Exitus Neracensis consultationis.

*Avila hist.
des guerres
civil. de Fr.
l. 6. an. 1579.*

Tandem Neracense colloquium, quod Regina Henrici III. Mater cum Navarræ Rege, ceterisque Protestantibus intelli-